

sapere bonum non esse. Primum exponam quid Stoicis videatur; deinde tunc dicere sententiam audebo.

Placet nostris quod bonum est corpus esse, quia quod **2**  
 bonum est facit, quidquid facit corpus est. Quod bonum est  
 5 prodest; faciat autem aliquid oportet ut prosit; si facit, corpus  
 est. Sapientiam bonum esse dicunt; sequitur ut necesse sit  
 illam corporalem quoque dicere. At sapere non putant eius- **3**  
 dem condicionis esse. Incorporale est et accidens alteri, id est  
 sapientiae; itaque nec facit quicquam nec prodest. 'Quid  
 10 ergo?' inquit 'non dicimus: bonum est sapere?' Dicimus  
 referentes ad id ex quo pendet, id est ad ipsam sapientiam.

Adversus hos quid ab aliis respondeatur audi, antequam ego **4**  
 incipio secedere et in alia parte considerare. 'Isto modo'  
 inquit 'nec beate vivere bonum est. Velint nolint, respon-  
 15 dendum est beatam vitam bonum esse, beate vivere bonum  
 non esse.' Etiamnunc nostris illud quoque opponitur: 'vultis **5**  
 sapere; ergo expetenda res est sapere; si expetenda res  
 est, bona est'. Coguntur nostri verba torquere et unam  
 syllabam expetendo interponere quam sermo noster inseri  
 20 non sinit. Ego illam, si pateris, adiungam. 'Expetendum est'  
 inquit 'quod bonum est, expetibile quod nobis contingit  
 cum bonum consecuti sumus. Non petitur tamquam bonum,  
 sed petito bono accedit.'

Ego non idem sentio et nostros iudico in hoc descendere **6**  
 25 quia iam primo vinculo tenentur et mutare illis formulam non  
 licet. Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum  
 et apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri;  
 tamquam deos esse inter alia hoc colligimus, quod omnibus  
 insita de dis opinio est nec ulla gens usquam est adeo extra  
 30 leges moresque proiecta ut non aliquos deos credat. Cum de  
 animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud